Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 17
Quelle:
Copyright:

terpretatione vulgata, charactere grandi, aterrimoque ſcripti, capitalibus librorum auro, coloribusque nitentibus. *Epiſtolae Hieronymi ad Paulinum et Deſiderium* praecedunt. Sequitur *Pentateuchus*, *Joſue*, *Liber Judicum et Ruth.* Joſue pariter *Prologo Hieronymiano* inſtructus eſt.

VII. VI A 14.

14 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 272. Eſt Pars II. *Bibliorum* a Cod. praecedente incipientium, eodem charactere, iisdemque ornamentis. Inſunt *Libri IV. Regum. II. Paralipomenon. Esdrae primus. Nehemias. Esdrae alter* (tertius). *Tobias. Judith. Eſther.* Singulis praefixi ſunt *Prologi Hieronymiani.* Ante I. *Paralip.* habetur ille, qui incipit: *Si ſeptuaginta interpretum* &c. et quidem ſine rubrica Calligraphi; ante II. vero ille, cujus initium eſt: *Quomodo graecorum hiſtorias* &c. rubrica minuta margini interiori adſcripta.

VIII. VI A 15

15 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 222. Eſt Pars III. *Bibliorum* praedictorum, continetque *Parabolas Salomonis*, *Eccleſiaſten*, *Cantica Canticorum*, *Sapientiam*, *Eccleſiaſticum*, *Iſaiam*, *Jeremiam* cum *Baruch* et *Epiſtola* miſſa ad Captivos in Babylone. *Salomonis* libri, *Iſaias* et *Jeremias Hieronymi Prologos* habent. *Eccleſiaſti* inſuper praefixus eſt ille ejusdem Doctoris, qui incipit: *Memini me hoc ferme quinquennio*, quemque legere eſt *edit. Opp. Vallarſianae T. III. Veronae 1735. col. 381.* Sua quoque Praeloquia *Sapientia* et *Eccleſiaſticus* habent ex generali Hieronymi in Libros Salomonis Praefatione excerpta. *Jeremiae* demum inepte aſſuta eſt pars C. 3. *Baruch* a v. 9. usque ad finem, quem errorem obſervans tardius Scriptor in margine exteriori minio adjecit: *hoc capitulum hic uacat.*

IX. VI A 16

Codex membraneus lat. Sec. 16
XIV. Folior. 196. Eſt Pars IV. *Bibliorum* hactenus recenſitorum, quae eadem manu et eodem ornatu complectitur *Jobum*, *Ezechielem*, *Danielem*, *XII. Prophetas minores*, *librosque II. Machabaeorum. Job* et *Hieronymi* et alio quodam Prologo munitus eſt, qui ejus Genealogiam narrat. Ad *Jobi* calcem imprudenter intruſa eſt pars *Praefationis Hieronymianae in Libros Salomonis*, finis item *Baruch* Prophetae cum *Jeremiae* Epiſtola, et tum demum *Ezechiel*, aliique ſuis, excepto *Daniele*, inſigniti Prologis Prophetae conſequuntur. Prologi hi magnam partem ex *Hieronymi* Commentariis in Prophetas minores decerpti ſunt, ut conferenti *T. VI. Opp. edit. Vallarſ. Veronae* 1736. patebit. In fine Codicis noſtri thecae inſcriptum legitur: *Iſte liber eſt fratrum predicatorum*